

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**De Evangelistarum In Rebus Circumstantibus Dissensione  
Fidei Historicae Fulcro**

**Herbart, Johann Michael**

**Oldenburgi, [1758?]**

**VD18 13536192**

[De Evangelistarum In Rebus Circumstantibus Dissensione Fidei Historicae  
Fulcro]

**urn:nbn:de:gbv:45:1-19723**



**V**eritatis munimenta non copia sed robore ac firmitate nituntur argumentorum; atque hæc quidem ex iis constant propositionibus, quæ junctim sumtæ unum totum constituunt. Exemplo esse argumentum potest, quo orbem nostrum terrarum, ceterosque planetas solem æque ac proprium axem circumvolvi, probamus. Hic supra centum occurrunt propositiones, quæ tanquam partes ædium inter se cohærent, in quibus secuta quasi habitat hujusce motus Planetarum veritas. Ejusmodi munimentum, in quo aduersus omnes impetus ab una parte defenditur altera, merito dicitur insuperabile. Longe aliter se res habet, si quis multitudinem rationum qualiumcunque, inter se parum aut male cohærentium, ad tuendam requiri veritatem persuasum sibi habet. Id qui faciunt, constituunt munimentum infirmis pariter ac validis castellis instructum, quod oppugnaturus hostis, perspecto vitio, in debile latus facit impetum, instat, urget, perrumpit vallum, potitur urbe, alterum latus satis munitum intactum relinquens. Ea enim & veritatis est ratio partim infirmis, partim validis instructa rationibus. Infirmiorem oppugnat partem adversarius: propugnatores temere ineunt certamen, repulsi autem male defensam veritatem diripiendam concedunt aduersario.

Vtinam ex systematibus nostris & compendiis theologicis, tum theticis, tum polemicis exularet hoc vitium! Quem autem emunctæ naris & præjudicio auctoritatis liberum fugit, in iis sæpenumero occurrere integros argumentorum inter se male nexorum catalogos, magnam que ex sermonis nexu avulsam & undique corrasam copiam dictorum, quæ in contextu orationis de rebus agunt longe aliis, atque adeo prorsus alium habent sensum. In primis autem multis, qui controversias tractant, sæpe contingit, vt, dum seduci se atque extrahi ex præfidiis sinunt, adversarius discedat superior. Recedunt nimirum temere atque inconsulto a principio, cuius possessio ab adversario minime in disceptationem vocatur. Inter alia exempla quam plurima pro-



voco ad controversias, quæ nobis intercedunt cum Socinianis. Hi quidem principium, a quo veritatis robur unice pendet, non adducunt in controversiam. Et veteris & novi foederis, libros divinæ esse originis, lubentes concedunt, neque adeo refelli illos ac redargui posse aut debere, nobiscum consentunt. Quid igitur restat? nihil certe nisi controversia exegetica. Omnia quippe eo redeunt, quænam huius vel illius loci genuina sit significatio. Hic vero nullis aliis opus est armis, quam regulis hermeneuticis, ad quas verum omnium omnis ætatis, & veterum & recentiorum, scriptorum, sensum enucleare atque enodare, consuemimus. Quæ vero regulæ ita comparatæ sunt, ut illis suffragari ipsi non renuant Sociniani. Habemus igitur eos nobiscum consentientes cum ratione principii, tum ratione regularum, ad quas verus Script. S. trutinari sensus debet. Largiuntur nobis, præcepta grammatices, Logices, Rhetorices, antiquitatis studium, geographiam, genealogiam &c. necessaria esse subsidia ad eruendam genuinam divinorum oraculorum significationem. Hic vero probe notandum, non evidentiam objecti in quæstionem venire, sed evidentiam testimonii. Haudquaquam enim quæritur, num, quid sit e. g. satisfactio criminalis a Christo præstita, quam quidem in rebus humanis plane ignotam atque rationi incomprehensibilem esse, nemo facile negaverit, animo concipere ac mente possimus; sed potius, an propositio hæc in sacris litteris verbis planis & perspicuis concepta occurrat, ita ut ad regulas quascunque exegeticas probe ponderata omnem alium sensum prorsus excludat. Quales vero Theologorum nostrorum haud pauci, multis operose compilatis voluminibus, adversus eos se præbuerint, satis constat. Sociniani argutis utique ex principio rationis petitis argumentis armati incedebant, oppugnantes ipsas doctrinas maxime arcanas atque absconditas de trinitate, de incarnatione filii Dei, eiusque redemptione ac satisfactione: Nostrates, firmissimo relicto munimento, cum iis in certamen descendebant, dubio atque incerto exitu; qui si in castris se tenuissent, ab hostibus non oppugnandis adeoque omnino tutis, armis usi justis, regulis præta hermeneuticis, hostilium armorum nullus plane usus



usus fuisset. Atque hoc pacto mihi nullum prorsus est dubium, fore, ut Sociniani inferiores semper ex acie discedant.

In idem multi delabuntur vitium Christianam defensuri religionem adversus Deistas ac Naturalistas. Innumera cuduntur poliunturque tela omni sæpe usu atque effectu destituta. Constituuntur quam plurima munimenta, quibus tuendis ideo impares sunt, quod & ipsa admodum sunt infirma, & vires hac ratione dispersas valde imminui necesse est. Ex ratione seu lumine naturæ probare ipsis student, naturam hominum admodum depravatam emendatione opus habere: illi vero hoc pertinaciter negant, dicentes, naturam hominis gaudere essentia sibi debita; trucem atque acrem esse leonem, vulpem esse callidam atque astutam, felem subdolam atque infidiatricem, equum alacrem ac fortem, asinum pigrum atque inertem, passerem salacem, atque hæc omnia a natura esse profecta ac disposita; quæ igitur in diversis animantium brutorum generibus essent divisa, in genere humano ea deprehendi conjuncta. Pergunt religionis Christianæ propugnatores, ex rationis lumine asserere, divinæ voluntatis revelationem fuisse prorsus necessariam; adversarii autem vim probandi se sentire negant ac pernegant. Simili ratione de immortalitate animæ eiisque futuro post mortem statu ne quicquam disceptari solet. Non perpendunt scilicet boni isti viri, quam infirma hac in causa sint arma ex rationis armamentario depromta, & quam invalida sint munimenta lubrico fundamento superstructa. Blackneius ille fortissimus suo in genere longe melius sapere mihi visus fuit, quippe qui desertis omnibus parvi momenti castellis in Minorca insula sitis, in castellum & natura & arte munitissimum multisque tormentis confirmatum se recipiebat, probe intelligens, se intra octiduum omnia esse perditurum, si vires ad tuendam totam insulam dispergeret. Huius exemplum imitari fas esse non absque ratione existimo. Vnicum nobis castellum validissimis confirmandum est munitionibus. Monumenta intelligo rerum a Christo gestarum a quatuor sic dictis Evangelistis ut & Paulo passim in suis epistolis posita nobisque tradita. Deferamus paulisper omnia castella, in quibus relig. Christianæ antiquitas, eius-



eiusque miranda propagatio & dilatatio, & Martyrum constantia hostibus Christiani nominis opponuntur, neque intempestive mentionem faciamus miraculorum ac complementi vaticiniorum. Adversariorum nostrorum tanta est astutia & calliditas, ut ante justum tempus ex hisce nos praesidiis deicere facile queant. De veritate rerum a Christo gestarum cum istis potissimum imo unice decertare fortiter nos oportet. Caveamus autem, ne & in hac causa plura, quam res exigit, propugnacula extruamus, quibus defendendis nostrae imminui vires ac frangi possint. Vasta extant volumina, quibus omnimodam istorum Scriptorum harmoniam adstruere eorum auctores omni nituntur studio. Hic vero adversarii propugnaculum unum post alterum nobis surripere fatagunt. Melius igitur nobis consulimus, si lubentes & sponte ea illis cedimus atque justo loco vires nostras universas colligimus; quae quidem in eo consistunt, ut certitudinem rerum a Christo gestarum secundum fidei historicae regulas a Logicis traditas atque uberrime explicatas, adeoque hic non repetendas adstruamus, easdem puta regulas, quibus ad tuendam rerum a profanis Scriptoribus traditarum certitudinem felici utimur successu. Ita enim delabimur in principium nobis cum adversariis nostris commune, neque in controversiam vocandum. Quas enim nos sequimur regulas, iisdem illi usi & sibi & aliis firmiter persuadent, extitisse aliquem Caesarem, qui Galliam expugnaverit, cum Pompejo M. bellum civis gesserit & summam totius imperii romani obtinuerit. Num, quaeso, hac in causa ad omnigenum romanorum scriptorum consensum provocamus? Nonne ipsorum relationes in variis rebus circumstantibus a se invicem differunt? Quid? si plane non differrent, sed in omnibus, etiam minimis, circumstantiis omnino conspirarent, annon ejusmodi perfecta consensus nos dubios redderet? nonne in eam facile incideremus cogitationem, unum alterius libros descripsisse, & primum omnium forsitan impostorem fuisse? Jam vero cum Scriptores eiusdem aetatis, qui eodem, quo res gesta est, tempore vixerunt, diversis tamen in locis versati, quod caput rei est, uno ore affirmant, in nonnullis autem rebus circumstan-

stan-



stantibus a se invicem recedunt; firmiter persuasi sumus, unumquemque horum auctorum historiam a se descriptam ex diversis hausisse fontibus. Quare autem ab ultima antiquitate hæc repeto? Ad res gestas novissimas, quas narratores publici nobis perhibent, provocare mihi liceat. Dum penitus consentientem iisdemque verbis conscriptam relationem vel in decem novellis legimus, in incerto nobis ea relinquitur; Quam primum autem diversi ex diversis locis nobis afferuntur nuntii, castellum St. Philippi esse a Gallis captum, qui quoad cardinem rei inter se consentiunt, in rebus autem circumstantibus aliquantum a se invicem discrepant; tunc vero omne evanescit dubium, non amplius fluctuante animo.

Dicta hæctenus, quæso, ad Scriptores rerum a Jesu eiusque legatis gestarum accommodemus. Quodsi eorum narrationes in minimis quoque circumstantiis ratione verborum, loci, temporis, ordinis, conspirarent; diceret sane adversarius, reapse unicum tantum esse historiam, quam alter ex alterius monumentis descripserit; fidem igitur historicam valde esse dubiam. Jam vero cum quatuor, qui adhuc extant Scriptores, ad quorum numerum Paulum merito refero, quorum pars testes oculares fuerunt, alii vero, se ex testibus ocularibus omnia sollicite ac diligenter percunctatos fuisse affirmant, diversis locis historias suas signaverint, quæ in causa principali omnino concinunt, Jesum publice docuisse, pastrasse magno numero miracula, in cruce mortuum, sepultum, tertio post die exsepulchro prodixisse, apparuisse Apostolis & multis aliis, & tandem coram quingentis testibus a nubibus esse in cælum sublatum, quoad ordinem autem & res circumstantes parvi momenti a se invicem differunt; ex quo, eos non ex unico fonte sed diversis res a se consignatas hausisse, ideoque plures fuisse testes, luculenter patet; quo accedit Scriptorum probitas, utpote qui neque præmiis, neque spe aut metu adducti ad scribendum se accinxerunt: difficile sane erit Christianæ religionis hostibus, res a Christo gestas in dubium vocare, nisi simul, Cæsarem Galliam occupasse, negare præfracte velint.

Nequicquam nobis opponunt, seu potius comparant cum Jesu, Apolloniam Tyanaum. Hic enim unicus tantum vitæ eius auctor est Philostratus, qui historiam suam ex Damidis, Apollonii in itinere comitis, commentariis & nonnullis aliis, ut ipse tradit, monumentis concinnavit. Ut eiusmodi admodum portentosa historia pro vera ac certa habeatur, plures sane uno requiruntur testes. Quæ vero mente compilatam isthanc esse fabulam, quis non

ia.



intelligit? Cum enim mirabiliter progredederetur Christiana religio, contra vero gentilis superstitione labaret jam & minaretur ruinam, utique necesse esse iudicabat Philostratus, ut fictis Apollonii miraculis miraculorum ac doctrinæ Christi elevaret fidem, ostenderetque, habere religionem gentilem, qui Christianorum Thaumaturgo præferri possit.

Sed ut ad rem redeamus nobis propositam, hoste christianæ religionis hac ratione in angustias redacta, ut ex communi nobiscum principio, hoc est, ex regulis fidei historicæ rerum a Christo gestarum certitudinem concedere debeat; simul evictum est, Christum eiusque discipulos patrasse miracula & res futuras prædixisse, quod utrumque ex divina aliqua virtute profectum esse, iustus rerum arbiter facile largietur. Quæ cum ita se habeant, de doctrinæ illorum veritate ac divinitate quis dubitaverit? num tantis viribus summum Numen exornaret impostorem? Quod si vero hoc pacto doctrinæ Christianæ veritas æque ac certitudo constet; scripta etiam V. T. utpote a Christo ipso comprobata, pro divinis utique habenda sunt; atque adeo ipsam religionem hisce doctrinis subnixam esse veram, omni caret dubio.

Vereri nonnullos, ne inspiratio divina hac ratione valde periclitetur, si inter Evangelistas aliqualem statuamus dissensum, me quidem non fugit: at enim vero summi nostræ ecclesiæ doctores de inspiratione divina non ita censent, ut statuant, Spiritum Dei omnia verba, præsertim in rebus historicis, quas Scriptores ipsi partim oculis suis viderint, partim ex testibus ocularibus sciscitari potuerint, dictasse, sed potius, Deum eos ad scribendum excitasse, dotibus necessariis instruxisse eosque in scribendo adjuvisse. Prodeat testis omni exceptione major, ipse Evangelista Lucas, Cap. I. affirmans: cum multi adgressi fuerint, contexere narrationem earum, quæ inter ipsos certissimæ fidei sint, rerum, quemadmodum tradiderint, qui ab initio suis oculis viderant; & sibi visum esse, cunctis, quæ memoria digna essent, ab initio exacta diligentia pervestigatis, Theophilo scribere &c. Lucas, vir divina luce collustratus in se divinum sentiebat impetum ad conscribendam de rebus a Christo gestis historiam; ad eum finem utitur mediis necessariis, & collectis certissimis documentis, accingit se ad scribendum stilo sibi familiari, quo a ceteris Evangelistis mirum quantum eum differre, præterit neminem.

Si quis porro objicere velit, cum illum Deus, ceterosque Evangelistas ad scribendum excitaverit & in scribendo adjuverit, quare inter illos non per omnia conveniat? cur unus Evangelista, Deum de coelo dixisse: *tu es filius meus dilectus*, alter: *hic est filius meus*, referat? cur unus, utrumque latronum Christum convivii proscidisse, alter, alterutrum id fecisse, memoret? respondeo, hac ipsa ex re singularem prorsus summi Numinis providentiam sole clarius elucere, quod permiserit



miserit, ut in rebus parvi momenti, quæ ad caput rei non pertinent, aliqualis dissensio appareat, cum, ut supra demonstravimus, hoc ipso rei gestæ certitudo nitatur. Quis eo insanix procederet, ut statueret, Deum omniscium ignorare, quod mortalibus notum est, plures videlicet Scriptores inter se omnino contentientes, propter hunc ipsum consensum non mereri fidem, cum ex eo nascatur suspicio, unam ex altera exscriptam esse historiam & perinde esse, ac si unicus tantum fuisset auctor. Devota igitur mente veneremur & celebremus divinam providentiam, qua Christiana quovis modo stabilitur religio & ab omnibus in multis defenditur.

Supereft, ut, qua causa permotus pagellas has exaraverim, paucis significem. Aliquot Scholæ nostræ alumni optimæ spei juvenes academiam petaturi, ut, quantum in litteris elegantioribus profecerint, publice declarent, gratumque testentur animum, die XIV. Sept. hor. 2. postm. e cathedra verba facient, & quidem

*Henricus Ernestus Lenz*, Oldenb. dicturus de vi consuetudinis. serm. lat.

*Joh. Christ. Schmidt*, Oldenb. de vitiis sub specie virtutis latentibus serm. vern.

*Frid. Wilh. Henrichs*, Oldenb. diversas administrandi rem publ. formas dijudicat, & absolute perfectam excogitari posse negat. lingua vern.

*Hector Frid. Janson*, Golzward. laudem propriam non semper sordere, docet. ling. lat.

*Joh. Corr. Heine*, Ovelgôn. modicam delectationem non solum licitam sed & necessariam esse, ostendit ling. lat.

Quos ut omnes, qui fovent litteras & amant, frequentia sua exoptatissima ornare, abeuntes votis prosequi & absentes etiam amplecti favore velint, submisce atque observanter etiam atque etiam rogo.

